

III.

NEOVIDENSIS

Nro 6. (Neovidensis 1805. Nro 2.)

*Prima tibi quoque debetur Cassovia sedes
Inter Pannoniae moenia, dives opum !
Dives praegrandi templo, quod regia quondam
Dextera construxit ! dives Episcopiol
Ad tam magna refer rerum monumenta tuarum,
Quae modo de bello, paceque verba sonant.*

Elysiun -- Meum. -- Die Venefis 18. Jan 1805. (Neov. 4. Jan.)

Propositio :

*Imbecillitas supremæ potestatis est summum infor-
mnum, quod populis accidere potest.*

Ita Imperator Napoleon
in oratione, quam ad Corpus
Legislativum dixit.

A longo jam tempore Angli de sua regni
constitutione tanquam de quopiam humani
ingenii specimine gloriantur ea potissimum
ex ratione, quod apud eos imbecillitas, seu
abusus supremæ potestatis nunquam evenire
possit; nam Ministri de omnibus, quæ pu-
blice fiunt, tenentur rationes reddere, dum-

que personalis Regis incolumitas sancta habetur, possunt Ministri extremo supplicio affici. Ex quo facilis esset conclusio: Anglicum Gubernium nunquam posse impune errare. Equidem hac de re nolumus monumenta historiarum consulere, hæc enim memoriarum proderent errata politica, manifestasque facerent, quæ non successerunt, & sæpe male adhibitæ sunt, machinationes.

Nemo iverit inficias per imbecillitatem supremæ potestatis fortissima Reipublicæ momenta infirmari, quæ deinde Ministri, ut Montesquieu asserit, inter se partiuntur, iisque insistent. Quapropter multi Politici judicaverunt satius esse gubernacula Reipublicæ ingenioso cuidam Despotæ concedere. Verum majoris est indaginis talem reperire, quam qui secundum receptas regni leges gubernet. Sed quid fieri assolet? Ille prior omnia subvertit, & se, atque rempublicam gravissimo exponit discrimini, Victor non multum abaudit ab eversore, dum contra alter pacate regnat, & etiam populis sibi subjectis optatissimam procurat pacem. Forte majorem præstat felicitatem doctrina Machiavelli, qui Principibus suadet bella gerere, ut primum subditorum facultates auctæ sunt? Bella illi ex bellis serant, evertant urbes, dissipent opes, nam post omne infortunium mitiores, & magis obedientes fieri consueverunt homines. Ast hujusmodi principia nec nominentur in nobis.

Interea propositioni ex oratione Imperatoris Napoleonis allatæ magna inest vis veritatis. Recurramus ad experientiam, & illa nos docebit: In omni majore Civitate penes unum oportet esse summam potestatem, qui si imbecillitate corripiatur, nascentur plures potestates, quæ attractas ad se imperii habenas pro suo diviso arbitrio moderabuntur, & tunc corruet unitas Imperii civilis. Nolo ad exempla provocare; Recenti adhuc illa obducta sunt cicatrice, quæ si refricaretur, facile posset vulnus recrudescere.

His in considerationem sumtis videtur sermo Imperatoris magnam habere similitudinem, cum illis dictionibus, quas Rex Angliæ facere solet initio Parlamenti. Has Angli magni faciunt, singula verba diligenter expendunt, voluntque arcanum Regni exillis exsculpere: videlicet an metus sit belli, an spes pacis affulgeat, num negotia regni cum aliis rebus publicis consentiant, vel minus, & quid sit in præsentibus rerum adjunctis expectandum. Idmodi sermones sæpe pleni sunt mysteriis adeo, ut eos non nisi illi possint intelligere, qui negotia publica exasse norunt. Imperator Napoleon odit artes, quibus veritas, uti involucro quodam obtegatur, clare loquitur, & perspicue. Hæc ejus oratio tempore primi ingressus ad corpus legislativum dicta meretur attentionem; ex ea enim licet colligere, quanta sit ejus politica prudentia, & quam moderata. Ista autem

est secundum Gallicas Ephemerides de 29.
Decembris ejus sententia :

Nudius tertius legislativum corpus juxta
præscriptas cæremonias munus suum auspi-
catum est. Quam ea occasione dixit oratio-
nem Cæsar, ita se habet: Mei Domini De-
putati corporis legislativi! Mei Domini Tri-
buni, & membra Status consilii! advenio
ut primæ vestre Sessioni præsideam. Uti-
nam hac ratione venerandum, & sublime
pondus adderem vestris laboribus. Magi-
stratus, Milites, Cives, nos omnes unicam
habemus in hac vita nobis propositam metam:
Felicitem Patriæ. Si hunc thronum, in quo
me Dei providentia, & nationis voluntas
collocavit, magni pendo, hoc ideo fit, quia
ille solus potest sanctissima populi Gallici e-
molumenta tueri, & conservare. Sine po-
tenti, & paterna gubernandi ratione relaba-
retur Gallia in pristina mala. Imbecilli-
tas supremæ potestatis est summum infortu-
nium, quod populis accidere potest. Ut
miles, & primus Consul unico animabar
proposito, neque aliud habeo ut Imperator,
nimirum obtinendi bonum commune Gal-
liae. E voto mihi cessit, illam victoriis co-
honestare, fœderibus firmare, bello civili e-
ripere, atque bonos mores, socialitatem, &
Religionem instaurare. Si me mors in me-
dio meorum conatum non occupaverit, ta-
lem me mei memoriam relicturum spero,

quæ meis successoribus vel semper in exem-
 plum, vel in exprobrationem deserviet. Mi-
 nister negotiorum internorum proponet vo-
 bis statum Regni; Oratores autem Status
 consilii varias necessitates legum ferendarum.
 Id etiam constitui, ut Ministri rationes, quas
 mihi de gesto suo munere reddiderunt, vobis-
 cum communicent. Valde mihi probatur
 conditio Aerarii publici. Quancumque fu-
 erint sumptus, illis ferendis sufficiunt redi-
 tus. Licet multiplices fecerimus apparatus
 in bellum, cui implicamur, nunquam tamen
 novum a populo meo tributum exigam. O-
 mnino jucundissima fuissem perfusus volu-
 ptate illo tam solenni momento, si per or-
 bem universum arma conquievissent, verum
 politica nostrorum hostium principia, & no-
 vissimum erga Hispanos factum abunde osten-
 dit difficultates pacis. Non intendo ego Gal-
 lici Imperii fines proferre, at prolatos de-
 fendere fixum est. Non arrogo mihi sin-
 gularem aliquam præcellentiam in negotiis
 Europæis, attamen jam partæ nequeo re-
 nunciare. Non admittam, ut aliquod re-
 gnium Gallico Imperio uniatur, illis tamen
 juribus me non abdicabo, quæ me civitati-
 bus a me erectis penitus conjungunt. Per
 oblationem Coronæ se meus populus obstrin-
 xit, omnia illa adhibiturum, quæcunque
 splendor Imperii, ejus felicitas, & mea gloria
 exegerint. Ego firmissimam spem repono in
 viribus Nationis, ejusque erga me propensio-

ne. Negotiorum Reipublicæ mihi semper antiquissima est cura. Mei Domini Deputati corporis legislativi! Mei Domini Tribuni, & membra Status consilii! vester modus agendi in prioribus Sessionibus, vester conatus, quo erga Patriam, & meam Personam fuistis affecti, mihi sufficiens præbet vadimonium de auxilio, quod durante hac sessione postulo, & expecto.

Ita peroravit Imperator, & quæ hinc corollaria? Ex his manifestum est, 1) Pacem multis esse difficultatibus implicitam, quæ adhuc tolli possunt. 2) Galliam nolle novis Provinciis suum territorium augere, solummodo velle præsentium integritatem conservatam. 3) Nullum Regnum amplius Galliæ adjungendum, — adeoque nec Parmam, nec Mediolanum. 4) Non velle Imperatorem majore apud alias Gentes pollere auctoritate, quam qualem sibi comparavit, & hætenus usus est. 5) Imperatorem nihil remissurum de juribus, & vinculis, quibus formati a se civitatibus colligatur.

Hæc puncta probabilius in celebrando pacis tractatu assumuntur pro fundamento. Contra Angli eorumque amici urgebunt irrestrictam Statuum, Galliam circumdantium, & substratorum auctoritati Gallorum libertatem. Sit autem, ut hæc libertas, pro temporibus pacis concedatur, quis eam tutabitur

orto bello? Locorum situs ita mutatus est, ut suprema vis politica per continentem in Gallia suum domicilium possit figere, & quantum apparet, etiam retinere. Nisi inter Italiam, & Galliam pons quidam politicus construat, & alter inter Galliam, & Hollandiam, quem potentiores Gentes sustentent, & tueantur, omnes minores Status inde ab Hollandia usque Neapolim, tam in dextra, quam sinistra parte Galliae, ne quidem Hispania, & Portugallia excepta, cogentur belligeranti Galliae auxiliares copias subministrare. Minores Status donare libertate pertinet etiam ad victoriam. Caeterum ab Hispanis jam est Angliae bellum indictum, ut hoc docent Ephemerides Madritenses de 14. Decembris.

Belli indictio Angliae facta tandem subsequuta est. Jam nudius tertius primus negotiorum externorum Secretarius *Dou Pedro Cevallos* ad mandatum Regum cum omnibus tribunalibus communicavit datum ea de re Manifestum, & hodie idem in novis Aulicis publicatum est: In cujus fine sequentia continentur: Hispania sibi ipsi foret injuria, sumque honorem apud caeteras Gentes Europaeas discrimini exponeret, si tantas offensiones animo indifferenti diutius toleraret, neque conaretur easdem totis viribus, pro dignitate sibi propria vindicare. Rex pro retinenda pace incassum adhibitis omnibus, quae gloria Coronae patiebatur, in totalem

conjectus est necessitatem, Regem Magnæ
 Britanniae, ejus subditos, & populos bello
 aggrediendi: Qua in re judicat se posse
 consuetam solennitatem indictionis belli præ-
 termittere propterea, quod Anglicum Mini-
 nisterium absque prævia declaratione bellum
 inchoaverit, continuetque. Quapropter
 Sua Majestas decrevit, ut jure Repressalia-
 rum omne Anglorum patrimonium in ejus
 Ditionibus existens retineatur. Instruxit Pro-
 Regem, Belliduces, aliosque rei navalis Præ-
 fectos, quæ sit tenenda ratio in defensione
 Regni adversus hostem. Denique suo legato
 imposuit, ut cum omnibus ad Legationem
 pertinentibus personis Loudino discederet.
 Sua Majestas nihil dubitat de voluntate suo-
 rum subditorum, quin illi audita justa indi-
 gnatione, quam violentiæ Anglorum pepere-
 runt, omnes vires intensuri sint, ut suæ Ma-
 jestati assistant ad illatam navibus Hispanicis
 injuriam severissime puniendam. Hunc in
 finem concedit iis Rex facultatem exstruendi
 naves prædatorias, quibus naves, & res
 Anglorum possint intercipere, & juribus hoc
 in genere amplissimis frui. Sua Majestas pro-
 mittit summam celeritatem in decisione rerum
 bello captarum, & in favorem horum pyrata-
 rum renunciat omnibus illis juribus, quæ in
 similibus casibus sibi reservare consueverat,
 hoc per expressum declarato, ut plenus, &
 illimitatus usus rei captæ sit illius, qui eam
 suam fecerit.